

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,
DE
NOXIIS ANIMI ADFECTVVM
IN CORPORE HVMANO EFFECTIBVS
EORVMQVE REMEDIIS

• QVAM
NVMINE DIVINO DVCE ET AVSPICE
CONSENSV AC AVCTORITATE GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
P R Æ S I D E
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO,

D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO,
MEDICINÆ, ANATOMIÆ ET CHIRVURGIE PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO,

ACADEMIARVM CÆSAREAR. NATVR. CVRIOSOR. ET PETROPOLITANÆ
VT ET REG. BEROL. SCIENT. SODALI,


P R O G R A D V D O C T O R I S
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
LEGITIME CONSEQVENDIS

D. XXX. JAN. A. S. R. MDCCLXII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

CHRISTOPH JACOB AVGVST ZIEGLER.
QVEDLINBVRGENSIS.



HALÆ MAGDEBVRGICÆ
EX OFFICINA VESTERIANA.



DISSERTATIO IN AVGVSTALIS MEDICAE
DE
NOXIS ANIMI AFFECTVVM
IN CORPORE HVMANO EFFECTIBVS
FORVMVVS RAMPIDIS

AVGVSTALIS MEDICAE
CONSENSVS AC AVGVSTALIS FACULTATIS MEDICAE
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
P R E S I D E
VIRO ILLVSTRISSESSIMO DOCTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO

D. PHIL. ADOLPHO BOEHNERO
MEDICINAE ANATOMIÆ ET CHIRURGICÆ PROFESSORI
PUBLICO ORDINARIO
ACADEMIÆ AVGVSTALIS MEDICAE ET CHIRURGICÆ
ET ETHICÆ DECANO SCIENT. SOCIET.

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISSIS IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
PROMPTIS CONCESSIS

D. XCVI JAN. 28. A. MDCCLXXVI
PUBLICO EXAMINE HVMANI SVMMI

AVGVSTOR
CHRISTOPH JACOB AVGVST XIENGER
VENERABILIS
HALLÆ MAGDEBVRGICÆ
EX OFFICINA VESTRIANA



A
SON ALTESSE ROYALE
ET RÉVÉRENDISSIME,
M A D A M E
A M A L I E
SOEUR DU ROI,
A B E S S E

DE QVEDLIMBOURG.

des Princesses du Conseil
Grandes Princesses & aux Grands



A M A L L E

MADAME

SOEUR DU ROI

ABESSE



Rien ne fait plus d'honneur aux
Grands Princes & aux Gran-
des Princesses que l'Accueil
gra-

EPI T R E

gracieux qu'ils font aux Arts & aux Sciences. La Reconnoissance grave leurs Noms au Temple de Mémoire, & les rend respectables à la Postérité.

Agréez, GRANDE PRINCESSE, que sans trop présumer de ma suffisance, je mette aux pieds de VOTRE ALTESSE ROYALE & REVERENDISSIME un Discours, qui me procure aujourd'hui un Grade & une Place parmi les Fils d'Esculape, & par le moyen duquel je viens VOVS rendre Hommage & me recommander à VOTRE haute Protection.

Heureux si je puis me flatter que
VOTRE ALTESSE ROYALE & REVE-
REN-

E P I T R E.

RENDISSIME daignera jeter sur cette
Pièce un Regard favorable, & si ELLE
veut bien me permettre de me dire avec
la plus profonde Vénération

MADAME

DE VOTRE ALTESSE ROYALE
ET RÉVÉRENDISSIME

Le très humble, très obéissant & très
soumis serviteur,

Christophle Jaques Ziegler.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
NOXIIS ANIMI AFFECTIVVM
IN CORPORE HVMANO EFFECTIBVS
EORVMQVE REMEDIIS.



§. I.

Prius quam ipsam nostram *de animi affectuum effectibus in corpus humanum*, aggrediamur tractationem; generalis quaedam de ipsis *affectibus* eruenda videtur idea; quae vix melius evolvitur, ac si illas modo consideramus mutationes, quae sub animi turba solent contingere. At vero, hic duae hominis partes occurrunt essentialis, *anima* atque *corpus*. Ad utramque igitur ut attendamus, necesse est.

A 2

Ordien-

Ordientes vero ab anima, quae veram adfectuum constituit sedem, sine negotio observamus: sub quolibet animi adfectu quendam adesse motum, eumque minime placidum, vel ita comparatum, sicut in statu ab adfectibus libero esse solet; sed fatis illum vehementem atque inordinatum. Hinc perceptiones & adperceptiones, ipsaeque cogitationes cum vehementia quadam sese excipiunt, & gradum quendam habent claritatis. Quae cum ita sint, elucescit iam prima nostrae notionis pars, quod adfectus, quos etiam *animi commotiones, perturbationes, itemque passiones & parhemata* appellare solemus, *sint animae vehementes motus.*

§. II.

Alteram nunc hominis partem, *corpus* considerantes, deprehendimus, in hoc pariter sub animi perturbatione quosdam inordinatos, & plus minus vehementes contingere motus, qui ideo alteram nostrae ideae partem constituunt, ita ut nunc plenius animi adfectus definire possimus *per animi vehementes motus, cum moribus corporis fortioribus coniunctos.*

§. III.

Si motus animi semper excipiunt motus corporis, tantae actionum animae cum actionibus corporis est conspiratio, ut sibi invicem exquisite respondeant, necessario inter animam atque corpus certus adesse debet nexus, quem philosophi *commercium animae cum corpore* appellare solent. Ad huius vero explicationem requiritur, ut exponamus: quomodo anima in corpus, & corpus rursus in animam agat. Nemo vero a me rei desiderabit explicationem, quae intellectus humani limites plane transcendit, & de qua ne summi quidem philosophi aliquid certi usque dum potuerunt demonstrare. Hi enim licet mutuas illas actiones notabiles

tabilesque mutationes, quae sub animi affectibus in anima & corpore eveniunt, sollicite annotaverint, minime tamen modum, quo ipsae fiant, eruere & demonstratum dare, ausi sunt. Pertinet praeterea haec demonstratio magis ad philosophiam, quam medicinam, & medicus suo satagens officio, omnia perfecit, si primo ad mutationes, sub illo animae statu in corpore obvenientes, probe attendit, dein vero noxios effectus, in corpus exinde redundantes attente considerat, & qua illi demum ratione emendari possint, sedulo curat. Id quod & ipse ego in sequentibus, iusti servandi ordinis gratia, pro viribus efficere allaborabo.

§. IV.

Dantur affectus cum voluptate & cum taedio coniuncti. De utrisque autem seorsim hic agere cum temporis pagellarumque angustia prohibeat; potiores tantum considerationi nostrae subiicere liceat, & nominatim quidem *iram*, *terrorem* atque *tristitiam*. His vero accurate explicatis facilius reliquorum erit cognitio.

§. V.

Ad illas primo mutationes corporis, quas *ira* in subiecto quodam producere valet, attenti, observamus faciem rubescentem & tumidam, oculos feroces & quasi flammeos, pulsum magnum & iusto celeriolem, respirationem citatorem, cordis palpitationes, vehementem interruptamque loquelam, sensum constrictivum in dextro abdominis latere sub scrobiculo cordis, inordinatos totius corporis motus, interdum quoque tremores artuum, immo convulsivos musculorum motus.

§. VI.

Singula haec phaenomena paulo accuratius considerata luculenter admodum ostendunt; sub effreni irae affectu

fectu in corpore nostro partim vehementes excitari spasmos, internas potissimum partes occupantes; partim vero sanguinem & humores maximo cum tumultu commoveri, & a centro ad peripheriam cum impetu propelli. Et primo quidem, quod ad spasmos attinet, constrictorius in abdomine sensus, motus cordis quasi convulsivus, quem palpitationis nomine insignire solemus, & variae partium corporis nostri agitationes &c. non obscurum de ipsorum praesentia praebent testimonium. Sic nuperrime in iuvene studioso, satis ceteroquin sano & robusto, post graviolem iracundiam vehementes annotavi convulsiones, quibus, ut postea mihi retulit, a tenera aetate post iram semper obnoxius fuit. De convulsivis motibus per iram excitatis legi meretur *Dan. SENNERTVS in institutionibus suis Medicinæ Lib. II. Part. II. Cap. II. pag. 224.*

§. VII.

Nec difficile erit, alios quoque nocivos ex spasmodorum indole deducere effectus. Sic enim irae quasi proprium est, ut in ductus biliosos spastice agat, qui deinde bilem, quam vehunt, impetuosius in duodenum, & abhinc in reliqua intestina infundunt. Vnde non modo vomibundi conatus, ipsique vomitus, sed diarrhoeae quoque, biliosae inde dictae, suam nanciscuntur originem; quae nisi modum excedant, vel perversa medicina pravoque victus regimine tractentur, saepe causam materialem evahendo, maiora mala avertunt. Facile autem quisque, vel me etiam tacente, perspiciet, colicas convulsivas, cardialgias & intestinorum inflammationes, ipsamque mortem oriri posse, si bilis copiosius effusa, exitu suo pracluditur, & in sensibili intestinorum canali subsistens, diuturniori mora rodentem induit acrimoniam.

§. VIII.

§. VIII.
Saepe etiam usi venire solet, quod in hominibus nonnullis ira suffusus, bilis in intestina non influat, sed propter spasum vasorum ductuumque biliosorum retenta ad sanguinem regurgitet, unde oris amarities ipseque icterus emergit; vel etiam a sanguine, bilis acrimonia inquinato, tam intermittentes, quam acutæ febres biliosæ producuntur, hocque eo magis, si subiecta sunt plethorica, magnamque simul viscidorum humorum saburram in primis viis alunt, aut si iam ad spasmos febriles adest dispositio, qualem praesertim in hominibus, cholericis temperamento praeditis deprehendere licet.

§. IX.
At vero, e frequentiori iracundiae affectu, saepiusque repetita bilis per spasmos commotione & accumulatione, in vesica fellea sensim paullatimque calculi fellei succrescere possunt. Quod si enim bilis in hocce folliculo copiosius congesta stagnat, temporisque successu tenacior fit, facile partes suas crassiores in fundo deponit, calculique rudimenta constituit; quibus deinde sensim novae partes accrescunt. Neque dubium est, quin etiam hepatis viscus, per quod ob venam portae, arteriae munere fungente, semper paullo tardior sanguinis est circulatio, cum tempore aliquam contrahat labem; imo nonnunquam scirrhosum fiat. Testem huius rei habeo *locupletissimum* b. HOFFMANNVM in *fund. Patbol. gener. Sect. II, Cap. I. §. XVI.*

§. X.
Quod deinde sanguis & humores vehementius in ira commoveantur, non modo facies rubicunda, pulsus magnus & iusto celerior, indeque pendens calor praeternaturalis;

turalis; verum etiam variae, quae inde producuntur febres acutae, tam pulmonibus & hepati, quam ventriculo & intestinis ob inflammatoriam stasim infestae, abunde factis comprobant. Multo vero magis singula haec eveniunt, si per tubulos corporis angustos copiosus, tenax, viscidusque sanguis circumagitur, nec eadem, qua per arterias advectus est, celeritate, per venas revehi potest, sed in tubulosa viscerum substantia subsistit. Nec minorem huius rei fidem faciunt haemorrhagiae, per nares, alvum, & in foeminis per uterum ab iracundia subinde excitatae, quas inter praecipua & tantum non lethalis esse solet haemorrhagia cerebri, sive apoplexia sic dicta sanguinea, quam senes & plethorici ab ira non raro experiuntur. Quodsi enim vasa, sanguini cum impetu irruenti resistere amplius nequeunt, tandem disrumpunt, sanguinemque fundunt. Nec reticenda hoc loco est singularis, & ad thesin nostram corroborandam, apprime idonea observatio HILDANI *Cent. I. Obs. XVIII*, cum arteriam vulneratam & probe sanatam ab ira denuo ruptam refert, & *Cent. I. Obs. XVII*, iuvenis mentionem facit, qui capite fortiter vulneratus, ex sola ira in febrim phreniticam incidit; & in cuius capite post mortem aperto cerebri membranae inflammatae, vasaque sanguine congruato turgida inventa fuerunt.

§. XI.

Ab eadem quoque sanguinis & humorum commotione deducendum est, homines obesos, scorbuticos, cacochymicos, & aetate iam paululum proVectos, post iracundiae adfectum non raro erysipelate affici, & pustulosis nonnunquam adfectibus, ut gutta rosacea, vexari; quod licet in se molestum sit, magno tamen ipsorum commodo saepe accidit; siquidem hac ratione per auctiorem sanguinis

nis motum impuritates a partibus nobilioribus internis ad externas salutari naturae consilio amandantur.

§. XII.

Ex his vero, quae de iracundiae operandi modo in corpus nostrum iam fufius tradidimus, sine negotio colligere licet, quid agendum fit prudenti Medico, si cavere velit, ne tanta in fanitatem damna ex ira redundant. Scilicet id negotii ipsi datum esse, quilibet intelligit, ut spasticas stricturas mitiget, sanguinisque & humorum organum contemperet. Vtrique autem indicationi prae caeteris satisfacit nitrum depuratum, si vel solum, vel absorbentibus quibusdam v. g. lapidibus cancrorum & conchis praeparatis nuptum ex aqua propinatur, & urgentibus symptomatibus per intervalla aliquoties iteratur. Quo nomine etiam pulvis antispasmodicus Halensis laudem meretur; nisi forte saepius repetito eius usui in tenerioribus quibusdam exquisita ventriculi sensatio contradicat. Dein quoque in bilis aestu temperando, spasmisque sedandis, insignem praestant utilitatem spiritus minerales acidi probe dulcificati, cuius generis spiritus nitri dulcis, & liquor anodynus Hoffmanni esse solent, qui dictis pulveribus instillati, subinde cum fructu offerri possunt, si praesertim cardialgici, aliique spastici motus medicam desiderant opem. Saepe etiam, & maxime quidem cholericis subiectis, prodesse solet cremoris tartari usus, aut si acidum citri, sacchero temperatum, comedunt. Quid quod emulsiones, ex amygdalis dulcibus, seminibus quatuor frigidis & semine papaveris albi concinnatae, nec non sola aqua frigida bilem sanguinemque exaestuantes egregie complacant, si modo caveatur, ne durante affectu, & magnis ingurgitentur haustibus. Contra vero omnes potus spirituosus & calidi plus plerumque nocent, & oleum camino addunt.

B

§. XIII.

§. XIII.

Quum non raro ob nauseam pravamque digestionem, post irae adfectum remanentem, necesse sit, ut bilis retenta in intestinorum canalem blande invitetur, & exin postea commodo laxante evehatur; fieri hoc, aliquo post iram tempore, optima tutissimaque ratione potest, per pulverem rhabarbari, cum cremore tartari, aut cum nitro & absorbente remixtum, & in debilioribus per animam rhabarbari, crebrius oblatam. Econtrario autem omnia purgantia canepius & angue sunt fugienda. *Conf. illustr. HOFFMANNI diff. de emetico & purgante post iram veneno.* Non tamen omnem omnino vomitum b. Vir in hac Dissertatione damnat, sed illum tantum serio interdicit, qui brevi post iram & vigentibus adhuc spasms emetico remedio excitatur. Multo magis vomitus, nisi forte quid contraindicet, saepe utilis, immo necessarius est, si aliquo tempore post iram cardialgiae, inappetentia, nisus ad vomitum, & vomitiones, remanent, omninoque timendum est, ne inde febris lenta & hectica succrescat, aut si brevi ante vel post pastum suborta est. *Quocum etiam b. STAHLIUS, qui alias in vomitoriis praescribendis valde cautus esse solebat, plane consentit in Diff. de passionibus animi corpus humanum varie alterantibus thes. 33.*

§. XIV.

Quod ad vitae victusque regimen attinet, studiose imprimis cavendum est, ne quis statim post iram prandio vel coenae adsidens ventriculum cibis repleat. Sat tristia enim apud auctores prostant exempla hominum, qui perversa hac victus ratione in pessimos, nullaque arte sanandos morbos, & maxime quidem in viscerum obstructiones, febresque lentas & hecticas inciderunt. Tum quoque male sibi consulunt, qui corpus post iram valde exercent, fortioresque

DE ANIMI / AFFECTVVM EFFECTIBVS IN CORP. HVMANVM. II
resque motus instituunt. Expedi potius, se per aliquod
tempus quieti dare, & animum simul, iracundiae fluctibus
iactatum omni, qua fieri potest ratione, componere.

§. XV.

Terror, ad cuius iam theoriam atque medelam accedi-
mus, magnam cum ira alit convenientiam: siquidem utri-
que hi adfectus corpori, ob spasticas stricturas, valde sunt in-
festi, tantumque respectu locorum, quos spasma occupant,
a se invicem differre videntur. Ira enim in interioribus
potissimum partibus spasmorum vehementia faevit, terror
contra exteriores potius spastice adficit; indeque sangui-
nem & humores, qui sub ira foras expelluntur, introrsum
ad cor vasque maiora cum impetu reprimunt.

§. XVI.

Atque a duplici hac causa, scilicet a spasmis externa-
rum partium, & a fortiori fluidorum ad interiora motu,
omnia commode phaenomena, sub terroris impetu con-
spicua, possunt derivari. Quis enim est, qui dubitet,
spasmos in peripheria corporis suam exercere tyrannidem,
si modo secum perpendit, faciei totiusque externi corpo-
ris habitus adesse pallorem, venas exiles, extremorum
frigus, labiorum artuumque tremorem, cutem aridam &
constrictam, indeque transpirationis aliarumque excretio-
num salutarium suppressionem &c.

§. XVII.

Haec autem dum ita eveniunt, ut vasa per ambitum
corporis disseminata spastice constringantur, non potest
fieri, quin sanguis & humores hac vi repulsi, interiora pe-
tant, & in corde, pulmonibus, vasisque adnexis maiori-
bus accumulati anxietates praecordiorum, spirandi angu-
stiam, pulsus debilem & frequentem, motumque cordis

tremulum efficiant, donec tandem cor vi insita nifum contrarium instituit, & fluida, quibus obruitur, auctiori motu rursus ad externas partes propellit, frigidisque membris pristinum calorem reddit. Atque in hoc terrore adfectus cum febrium paroxyfinis multum habet similitudinis, in quibus perinde frigus externique habitus constrictio cum subsequente calore & auctiori sanguinis circulo observatur. Neque tantum ad cor, sed etiam ad capitis vasa sanguis & humores maiori copia sub terrore determinantur; unde apoplexia, hemiplegia, paralyfis & adfectus soporosi &c. non raro suam ducunt originem, itemque epileptici & convulsivi motus, in dispositis, vel infantibus facillime provocantur, & cum his etiam per solum lac matris terrore adficiatæ communicantur.

§. XVIII.

Neque ex longinquo repetenda erit ratio, cur magno terrore percussi, animo nonnunquam linqere soleant. Quodsi enim cor sanguinis mole obrutum debilius movetur, eiusque ventriculi valde distenti se satis amplius restringere nequeunt, necessario circulus sanguinis valde turbatur, nec sufficiens liquidi vitalis portio ad caput advehitur, unde parcior fluidi nervi fit secretio, & lypothimicus ingruit status: quod praesertim in subiectis vel natura, vel ex morbo debilibus & plethoricis videre licet; immo mors ipsa non raro supervenit, si cordis motus sanguinis circuitus restitui nequit. Quae cum ita sint, non mirum est, quod terror iis praesertim fatalis sit, qui polyposus in corde concretiones gerunt. Quod enim polypus occupat spatium, illud sanguis, cum impetu ad interiora pressus occupare nequit. Hinc cordis ventriculi nimia eiusdem copia distenduntur, ut deinde aegrius, vel plane non systolen redintegrare sanguinemque in circulum rursus ciere valeant.

§. XIX.

§. XIX.

Quam maxime autem terror senibus est infensus multumque saepe adfert periculi. Saepe enim graviter perterriti senes aut subitam experiuntur mortem, istaque subeunt mala, quae §. XVII. recensuimus, aut sensim paulatimque ciborum adpetentia, somnoque resciente destituti, vires amittunt, & febre tandem lenta sive marasmo diem obeunt supremum. *Vid. b. HOFFMANNI Pathol. gen. Sect. II. Cap. I. §. XXIV.* Neque raro prae iunioribus, nisi hi valde sint scorbutici, ob sanguinis & humorum dyscrasiam erysipellate tentantur; si praesertim iam antea ulceribus laborant, quae inde plerumque in maligna & cacoëthea transeunt. Saepe etiam accidit, ut eiusmodi ulcera post terrorem manare desinant & plane ocludantur; unde adfectus soporosi, asthmata convulsiva, apoplexiae & alii succrescunt morbi.

§. XX.

Porro certa observationum fide constat, salutare illas sanguinis per nares, menses & haemorrhoides, excretiones a terroris adfectu non raro imminui, immo plane supprimi; sicut contra in artis exercitio notissimum est, hasce haemorrhagias a terrore non modo saepe saepius multum augeri & morbosas fieri, sed alios quoque sanguinis fluxus exitiosos, ut haemoptysin, vomitum, mictumque cruentum produci, non aliam ob rationem, quam quia sub fortiori sanguinis ad interiora motu, ipse sanguinis & humorum circuitus fit inaequalis, atque in una parte fluidorum impetus augetur, in altera vero minuitur. Atque ex his simul iudicatu facillimum est, cur terror in gravidis abortum tam facile provocet, utpote qui uteri haemorrhagiam, indeque factam secundinarum ab utero separationem, nunquam non supponit.

§. XXI.

Deinde indubia experientia evictum est, gravem terrorem non modo ad morbos malignos disponere, verum etiam iisdem iam praesentibus gravissima saepe symptomata, ut cardialgias, convulsiones, pulsus debilitatem, extremorum refrigerationes & praecordiorum anxietates accersere. Quam maxime autem omnia in peius ruere & exanthemata quoque, si quae adfunt, evanescere observamus, si forte terror in acutis circa criticos oboritur dies.

§. XXII.

Equidem adhuc varia, a terrore in corpus redundantia enumerare possem mala; quae vero quum ex iam dictis facillimo possint negotio derivari, ad practicam me potius converto considerationem. Totius vero praxeos cardo in rite formatis vertitur indicationibus, quae sequenti nituntur fundamento: ut spasmodica superficiei corporis stricture relaxetur; & deinceps fluidorum ab interioribus ad externas partes liberior cursus apta ratione promoveatur.

§. XXIII.

Ad primam indicationem rite explendam non tam faciunt multa arte parata medicamenta, sed praecipuum potius auxilium ex diaeta petendum est; siquidem frictiones artuum cum pannis calidis, regimen moderate calidum, & forte etiam temperata pediluvia, itemque urinae emissio, fere omne absolvunt punctum. Secundae vero indicationi ex voto satisfaciunt, quae humorum massam ad superficiem corporis propellunt. Quo nomine prae ceteris laudem merentur pulvis bezoard. fixi & infusa calida theiformia, ex herba meliss. veronic. scord. card. benedict. paxillo flor. arnic. & cort. citr. confata, virtus diaphnoica

pnoica non parum augetur, si subinde essentiae temper. alexipharm. cum quarta parte mixturae simpl. vel liquoris cornu cervi succinati remixtae portio propinatur. Neque ad cordis, vasorumque tonum restituendum parum iuvat vinum bonae notae rhenanum, aut si aquarum destillat. analept. melissae, cort. citr. & cinanom. &c. haustus subinde adsumitur.

§. XXIV.

Ex antea dictis iam satis superque elucescere arbitror, quam magnos illi committant errores, qui post graviolem terrorem pulverem illum sic dictum antispasmodicum, aliosque valde nitrosos, praesertim ex frigida largius adsumunt, vel in aere frigido commorantur. Refrenant enim internarum partium summe necessarios motus, adeoque fluidorum ad exteriora progressum retardant vel impediunt. Nec adeo bene consulunt, qui ex terrore lypothimicos factos, aeri liberiori & frigido exponunt. Admissio enim frigido aere spasmi peripherici graviores redduntur, fluidaque eo magis ad interiora reprimuntur; unde non possunt non maiora oriri mala. Ex eadem ratione adpersio aquae frigidae multaque alia, in lypothimiis alias usitata remedia plus plerumque nocent, quam prosunt, quorum tamen enumerationem, equidem brevitatis causa lubenter omitto.

§. XXV.

Iam ulterius mihi progrediendum erit, ad ordine tertium animi pathema, *tristitiam* sive *moesitiam*; quae valde a potioribus discrepat; siquidem non uno quasi impetu, & maxima vehementia, suas exerit noxas, sed temporis demum successu corpus graviter adfcit atque laedit. In eo tamen cum reliquis animi passionibus convenit, quod perinde sanguinis & humorum turbet motus,

tus, utpote qui sub tristitia adfectu lentius succedentes, solidorum quoque actiones insigniter pervertunt. Pallor faciei, extremorum frigus, pulsus exilis ac tardus, transpiratio impedita, cutis flacciditas & quae sunt reliqua, sufficienter tantum sanguinis circulum dant demonstratum.

§. XXVI.

Quodsi vero sanguis & humores per vasorum alveos segniori progrediuntur itinere, fieri sane nequit, quin sensim inspissati viscidioresque redditi tubulorum minimorum, ipsorumque viscerum infarctus & obstructions ingenerent, quae deinceps multorum, & chronicorum praesertim morborum, e. g. febrium intermittentium, maximeque quartanae, passionis hypochondriacae & hystericae, morborum pulmonalium, hydropsis, tympanitidis, suppressionis mensium, haemorrhoidum, aliorumque malorum foecunda sunt mater.

§. XXVII.

At vero, sub lentiori & impedito sanguinis motu simul inutiles, superflui & a temperata crasi deflectentes humores per vias excretorias, a provida natura hoc sine destinatas, non satis evehuntur; unde massa sanguinis & humorum cum tempore variis inquinatur impuritatibus, quae deinde scorbuticos, erysipelaceos, scabiosos, purpuraceos, multosque alios producunt adfectus, & in nonnullis quoque calculosae & podagricae materiae rudimenta ponunt.

§. XXVIII.

Neque etiam boni, laudabiles & ad vitam sanitatemque tuendam necessarii succi rite fecernuntur, si sanguis viscidus & impurus segnus per vasa traicitur. Hinc a par-

parciori fluidi nervei secretionem in cerebro, eiusque imminuto in partes corporis influxu, non modo totius corporis oritur lassitudo atque debilitas, sensuumque acies quodammodo obtunditur; verum etiam facultates animae insigne patiuntur decrementum. Et quum liquidi etiam feminalis in masculis, lactis vero in feminis parcior fiat sub tristitiae adfectu secretio, sane non mirum est, quod viri stimulum venereum & coeundi potentiam amittant, mulieres vero lactis defectu laborent.

§. XXIX.

Si porro ventriculo atque intestinis, ut partibus maxime nervosis, fluidi illius subtilissimi denegatur sufficiens influxus; fibrae inde valde debilitantur, & hac ratione motus depravatus peristalticus, ciborumque digestio mirum laeditur. Digestione autem non rite succedente, nequaquam bonus praeparari potest chylus; unde corpus sufficienti nutritione privatum, non raro tabescit. Remanent praeterea in intestinis multae cruditates, quae febrium intermittentium, praecipue tertianarum, cardialgiae flatulentae, nauseae, vomendi conatum, immo ipsius vomitus, alvi obstructionum & huius fortis plurium fiunt causae; & vera malorum dici possunt lerna.

§. XXX.

Tandem meticulositas & formido, quae multum cum tristitia commune habet, facile potest morbos, de quibus metuimus, producere. Videre hoc potissimum licet in peste, quae homines natura timidos prae ceteris invadit; & notabile quoque exemplum foeminarum, propter nimium metum purpura maligna in puerperio vexatarum, adfert Excellentissimus D. DANIEL
C
fau-

fautor omni animi observantia colendus in P. I. *deerey*
Beyträge zur med. Gelehrsamkeit. Immo etiam in morbis
 ipsis remediorum virtus multum infringitur, & saepe
 prorsus eluditur, si aegroti de vita desperant, cum con-
 tra aliis optima sperantes, constantique & libero a tri-
 stitia animo donati, facilius convalescant.

§. XXXI.

Sufficiant haec de huius adfectus theoria; & me
 potius ad practicam converto considerationem; quae
 sequentibus, tanquam fulcimento, nititur indicationi-
 bus: 1) *animus abiectus & tristi imaginatione perturbatus,*
erigendus est. 2) *Spissi viscidique humores diluendi, & impu-*
ritates exinde proscrubendae sunt. 3) *Corpus roborandum,*
circulusque sanguinis lentus ac tardus liberior & celerior red-
dendus est. Quae rite observata optimum sperare iubent
 effectum.

§. XXXII.

Ad primam indicationem ex voto implendam, opus
 erit, eiusmodi subiectis praeconceptae illius opinionis
 demonstrare falsitatem; quod vero magis ad medicinam
 animae, quam corporis pertinet. Ad erigendum vero
 animum, tristesque ex illo cogitationes abigendas, mul-
 ta sane conferunt societas iucunda, ingeniosum hilare-
 que colloquium, & plura alia, pro circumstantiarum ra-
 tione melius determinanda.

§. XXXIII.

Vt secunda expleatur indicatio nostra, locum quam
 maxime habent diluentia, & leniter resolventia; ut sunt
 ptisanæ, infusæ theiformia, praecipue ex Veronica,
 melissâ citrata & turcica, itemque corticibus citri &c.
 para-

parata, nec non omnia potulenta dilutiora, ut potus cerevisiae levioris & non adeo consistentis, & aquae felteranae &c.: Quae singula, coniuncto simul sufficienti corporis motu, spissos humores egregie diluunt & attenuant. Ad depurandos autem humores apprime utile est, ut praeter lenem alvi subductionem, potissimum salutare transpirationis negotium conservemus: quod quidem per regimen moderate calidum, per corporis exertationem & frictiones cum pannis calidis, quam optime perficitur, non omissis, si opus est, medicamentis huic scopo obtinendo, idoneis.

§. XXXIV.

Tertiae indicationi satisfaciunt omnia amara balsamica & roborantia leniterque commoventia, ut fere sunt vina generosa, aquae destillatae analepticae, it: bezoardica, alexipharmaca leniora, immo etiam in minus plethoricis atque phlegmaticis ambrata & salia volatilia. In plethoricis venae sectio non infimum meretur locum; & ut vacillanti ventriculi digestionem succurramus, cibi eligendi sunt eupepti, omissis durioribus, salitis, aut fumo induratis, ne cruditatum, impuritatumque augeatur proventus. Peregrinationes quoque animum a tristibus ideis avocandum circumque sanguinis vividiorum reddendum egregie opitulatur, sicut etiam aer serenus, purus atque temperatus eximie prodest.

§. XXXV.

Tandem expedit remedia quaedam suppeditare generalia, quibus affectus animi possint cohiberi vel emendari, quorum primum est, ut omnibus viribus enitatur, ut animus secum habitet, sibi que recte constet, nec se a

re vel grata vel adversa nimium occupari patiat: quod quidem optime fit, si omnes res ex natura sua aestimare, bonumque verum ab apparente distinguere discimus. Alterum adfectus refrenans remedium est, ut attentionem & cogitationes a re, nos vehementius commovente, quantum fieri potest abstrahamus. Tertium bona & christiana suppeditat educatio, qua statim in pueritia ab indulgentia & proclivitate in adfectus arcemur, coercemurque, ne forsitan nimis iisdem obtemperemus.

F I N I S.

Errata. pag. 16. l. 5. leg. lentum pro tantum. pag. 9. §. 12. l. 21. saccharo pro sacchero.



DIGNISSIMO HONORVM DOCTORALIVM
C A N D I D A T O,
AMICO SVO SVAVISSIMO,

S. P. D.

CHRISTIANVS FRIDERICVS DANIEL
PHYSICVS HALENSIS.

Verum est, fateor, res esse admodum varias, quae corpus nostrum morbo-
sum, innumerisque languoribus reddunt obnoxium; nihil tamen prope
magis grauiusque corporis nostri machinam adfcit atque ledit, quam im-
petuosorum animi motuum turba, & maxime quidem ira, terror atque tristitia:
Siquidem ea horum adfectuum indoles est, et praeter ceteris ad vitae sanitatisque
destructionem quam plurimum conferant. Jam quidem optandum esset, ut ho-
mines nocuos animi motus effugere, & tranquilla frui mente omnibus contem-
derent viribus. At vero, quum hocce potiri voto per humane naturae deprava-
tionem minime liceat, optime sane fecisti, Pranobilissime Dn. Candidate, quod
in docta, Tuoque Marte conscripta dissertatione TUA eleganter demonstratum
cederis, qua ratione noxae, ex animi perturbationibus in corpus nostrum redun-
dantes

dantes arceri possunt ac emendari. Neque tamen hoc solo nomine commendandus mihi videris, sed ideo potissimum singularem mereris laudem, quod in Alma hac *Fridericiana* per integros octo annos non tantum artis salutaris studio insignem nauastis operam, semperque cum improba diligentia egregiam morum elegantiam coniunxisti; verum etiam doctrinas a Praeceptoribus Tuis auide hausas, me duce, ad lectos aegrotantium in succum & sanguinem conuertere amissus es, indeque Tibi habitum quendam, et ajunt, practicum comparasti. Quae cum ita sint, ex hisce omnibus non possum non multa fausta, prospera & ad usum proficua, bono publico de Te polliceri atque ominari. Quae ut summus rerum arbiter largi TIBI fenore concedat, omnique benedictionum genere Tuos labores fortunare, atque TIBI secundos & fecundos in artis exercitio successus velit elargiri, ex toto pectore precor. Tandem mei memoriam commendo, TVI recordationem nunquam depositurus. Dabam Hale Magdeburg, a. d. XXIII. Januar. clō Io cc LXII.



VIRO IUVENI
 PRAECLARO, IMPENSE DOCTO INQVE MEDENDI SCIENTIA
 ADMODVM EXERCITATO,
CANDIDATO DIGNISSIMO
 ET MERITISSIMO,
 AMICO SVO CARISSIMO,

S. P. D.

LEON ELIAS HIRSCHEL.

Berolinensis & Medicinae Candidatus.

Ex quo TE, Amice suavissime, familiariter uti fruique, favente fortuna, mihi contigit, semper inexhaustam tuam cupiditatem & Medicinae perdiscendae ardorem maximopere sum miratus. Neque tempus fert, neque singularis *Tua*, qua inter *Tuos Tibi* aequalis exsplendescis, modestia permittit,

mittit, ut in meritis ac Tibi debitas laudes hoc loco excurram, ostendo, quam omnium doctrinarum Te studiosissimum nunquam non fuisse, quantaque indefessa diligentia in eadem die nocteque incubuisset. Quo nec mirum est, hodierna Te luce præmiis illis amplissimis, quæ Minerva Hygea diligentibus Sui cultoribus decernere solet, publice, summo omnium studiosorum applausu, affici. Amicitia igitur, quæ mihi Tecum intercessit, & officii mei plane immemor ego jure esse reputandus, nisi faustissimo hoc atque auspiciatissimo die, tot applaudentium votis & meas votivas acclamations coniungerem, & apud animum Tuum pariter relinquerem testatissimum, quantopere Te ego admirer ac diligam. Gratulor itaque Tibi, Candidate dignissime, & vere gratulor summos illos honores, quos hodie consequeris, optoque ex animo, ut eos Deus Tibi faustos ac semper esse iubeat fortunatos, ut in ægrotorum salutem, gentis Zieglerianæ splendorem, patriæ commodum & orbis literati ornamentum cedant: Te vero ipsum salvum, incolumem, medendi exercitatione felicem atque omnibus decoribus semper florentem quam diutissime conservet. Memet vero, ut præsentem, ita quoque absentem, perpetuo Tuo, & amori, & favori, permissum ut habeas & traditum, est, quod a Te, summo opere, pro nostra coniunctione Tuaque singulari humanitate, etiam atque etiam peto & quæso. Dabam Halæ Venedorum die XXX Januar.

MDCCLXII.



MDCCXLII
et quod. Datum hinc Venedorum die XXX Januarii.


pro nostra constitutione. Nosque in quibusdam hinc hinc, cum aliis aliis
de labor. penitentibus in hinc de. etiam, quod a de. hinc
Mentem vero, in presentem, in quibusdam hinc, hinc, etiam
Kellum ante omnes decoribus hinc hinc hinc hinc hinc hinc
mentem cedunt. In vero hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
tam, hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
est. Ita hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
inter hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
adhibere et hinc. Gaudet hinc hinc hinc hinc hinc hinc
non hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
his, tot hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
ut hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
tunc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc




01 A 6528

ULB Halle 3
002 928 698







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA,
DE
NOXIIS ANIMI AFFECTVVM
IN CORPORE HVMANO EFFECTIBVS
EORVMQVE REMEDIIS

QVAM
NVMINE DIVINO DVCE ET AVSPICE
CONSENSV AC AVCTORITATE GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
P R Æ S I D E
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO,

D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO,

MEDICINÆ, ANATOMIÆ ET CHIRVRGIÆ PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO,
ACADEMIARVM CÆSAREAR. NATVR. CVRIOSOR. ET PETROPOLITANÆ
VT ET REG. BEROL. SCIENT. SODALI,

P R O G R A D V D O C T O R I S
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
LEGITIME CONSEQVENDIS

D. XXX. JAN. A. S. R. MDCCLXII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR
CHRISTOPH JACOB AVGVST ZIEGLER.
QVEDLINBVRGENSIS.



HALÆ MAGDEBVRGICÆ
EX OFFICINA VESTERIANA.

